



Ioannes ex nobili familia Hatsfeiniorum natus, atq; à parentibus omni genere uirtutum educatus est. in quibus etiam adeò profecit, ut in præstantissimum patriæ ciuem euaserit. Nam à pueris statim religionis amorem imbibit, atq; eam pro sua uirili contra impios Turcas & idololatrias defendere statuit. Itaq; cum aliquãdiu Friderici & Maximiliani Cæsarium castra secutus esset, tandem Rhodiorum equitum militarem ordinem suscepit, & pro Christianorum fide arma induit. Erat ordo ille Hospitaliorum S. Ioannis olim anno circiter 1100 à Gerardo Xenodochij Magistro Hierosolymis institutus, paulo postquam Godofredus rex eam urbem ex Sarracenorum manibus liberarat, idè eo tempore, cum & ordines Templariorum et Theutonicorum ibidem instituti essent. Verùm Templariorum ordo anno 1312 ob scelera quædam extirpatus, & Theutonicorum tandem in Germaniam regressus, atq; à Polonis contra irruentes Barbaros uocatus, Prusiam sibi armis uendicarunt. Verùm Iohannitarum ordo, multorum nobilium ex longinquis Christianorum prouincijs accessione, plurimum excreuit, atq; post Saladinum apud Hierosolymam uictoriam se Tyrum & Ptolemaidam recepit, easq; urbes diu contra Sarracenos fortiter defendit. Tandem uerò cum omnia Turcis in Syria cefsissent, ipsi nobilissimam illam insulam maris Mediterranei Rhodum, Vuilhelmo Villareto summo Magistro, anno 1308 ui occuparunt. Vnde postea equites Rhodij dici cœperunt. Hunc locum fortissimus ille ordo per annos 214. magna hostium admiratione retinuit, & sæpius ingentes Turcarum copias terra mariq; prostrigauit. Huic itaq; ordini sese Ioannes generoso animo cõiunxit, & aliquandiu in Rhodo insula uixit. Itaq; etiam supremus eius ordinis per Germaniam Magister creatus, functionem suscepit, atq; Maximiliano & Carolo Cæsaribus gratissimus, & instar principis habitus fuit, quantumuis ipse cum antecessoribus aliquandiu hunc principis titulum recusarint.